

Descriptio speciei novae lichenis, quam detexit et sub nomine Tholurna*) dissimilis proponit J. M. Norman.

Lichen norvegicus alpinus corticolus: *thallo* e squamulis ascendentibus supra granuloso-papillosis in caespitem podetiorum abeuntibus formato; *podetiis* simplicibus, parabo-loideis, corrugatis, siccis glaucis vel fuscis, humidis virescentibus, omnibus apothecio coronatis; *apotheciis* terminalibus, solitariis, denique urceolato-cra-teriformibus, margine abscisso discum superne in massam atram sporarum, solutum cingente; *sporis* dissepimento transversali medio bilocularibus, intense obfuscatis, loculamentis subglobosis, eleganter spiraliter striatis. (Synonym: Podocratera dissimilis Norm. in litt.)

Si methodum, qua Cl. Nylander in Synopsi lichenum usus est, vel illam, quam in Lichenibus arctois exhibuit amic. Th. Fries, respicias, genus Tholurna tribum vel familiam propriam format, quae, *Tholurnei* nominanda, a ceteris Epiconoideis vel Coniocarpis, cui seriei subjungenda est, optime distinguitur thallo squamuloso in podetia abeunte, eam ob rem in Cladoniceos apparenter quidem vergens.

Descriptio accuratior lichenis hujusce in Script. Societ. Scient. aut Nidarosiensis aut Christianiensi suo tempore dabitur.

Tromsaae (Finmarchiae) die 20. Aprilis 1861.

Miscellanea Lichenologica. Scripsit Dr. Th. M. Fries.

1. In Lich. Arct. p. 28 descripsi et in Lich Scand. exs. n. 28 distribui plantam, cui nomen *Alectoriae (ochroleucae) Thulensis* addidi. Apotheciis autem ignotis, subspeciei modo nomine eam designavi, „sperans fructus olim inventos fore, qui longe lateque distributae hujus plantae dignitatem specificam omnino defendant.“ Liberalitati Cl. : i Lenormandi pulcherrima, apotheciis onusta jam debeo specimina, a Despreaux e Terra Nova reportata, nec eam specificè ab *A. ochroleuca* segregare amplius dubito. Sunt enim apothecia majuscula, lateralia (ob rimum deflexum terminalia videntur), badia l. nigricanti badia, margine tenui integro demum excluso; asci saccato-clavati, paraphyses conglutinatae, plus minus fuscidulae,

*) Derivatio nominis: tholus (Θόλος), urna.

sporae binae-ternae, ellipsoideae, late limbatae, luteolae, tandem dilute fuscidulae, intus oleoso-grumulosae, 0,025—35 mm. longae et 0,017—20 mm. latae. — In herb. Lenorm. vidi quoque varietatem *sarmentosam*, ex arboribus fruticibusve Terrae Novae pendulam, graciliorem, apotheciis minoribus praeditam, cum *A. ochroleuca* var. *sarmentosa* omnino analogam. — Verisimile nunc mihi videtur, hanc speciem sistere *Corniculariam ochroleucam* β *nigrescentem* Ach., quare nomen *A. Thulensis* mutare licet in *A. nigrescentem* (Ach.), denominationem vix dubie aptiorem, quum specimina Helvetica jam viderim. Ut synonymon hujus speciei porro afferenda est *Alectoria divergens* Nyl. Syn. p. 278 pr. part. (veram *Corniculariam divergentem* Wnbg. valde esse diversam, facillime perspicui potest), ut me edocuerunt specimina ab ipso in mus. Paris. determinata; ad hanc pertinent descriptio apotheciorum l. c. data et asci sporaeque tab. VIII f. 17 delineati. Apothecia autem *C. divergentis* sunt varissima nec, ut videtur, ab ullo lichenologo post *Acharium* visa.

2. Constat, primariam inter *Alectoriam ochroleucam* α *rigidam* (Vill.) et β *sarmentosam* (Ach.) notam in apicibus concoloribus vel nigricantibus positam esse, qua freti varii adhuc lichenologi differentiam inter has specificam admittunt, quum perbene cognitum sit, var. *cinnamomata* Fr. (*Alect. luteolam* Delis., Massal) directos praebere transitus. Quae forma *cinnamomata* apices vulgo habet concolores, at in herb. Sommerf. vidi quoque specimina apicibus nigricantibus, ut jam Sommerf. (Suppl. p. 115) rite observavit. Nunc addere licet, etiam formam *sarmentosam* interdum eundem ramorum terminalium colorem praebere; talia enim specimina, ad illam varietatem aperte pertinentia, ex alpebus Galliae in herb. Comitis de Franqueville (Parisiis) vidi.

3. *Corniculariae divergentis* Wnbg. habitu adeo similis est *C. Lorensis* Fée (sec. spec. in ips herb., *Alectoria* Nyl. Syn. p. 278), ut speciminibus in Lechl. Pl. Peruv. n. 2266 distributis illud nomen adtribuerit Nylander. Apothecia autem lateralia et praesertim sporae omnino diversae distinctionem a *Corniculariis* suadent, atque ipse in Gen. Heterol. p. 49 nomen *Oropogon*, Cel. Trevisani in Fl. n. 4 huj. anni nomen *Alestia* proposuimus. Iisdem diebus haec nomina publici juris facta sunt, sed ex stricta prioritatis lege meum forsitan servandum est. Opusculum enim meum, Genera Heterolichenum Europaea inscriptum, die 24 Jan. divulgatum est, descriptio autem Cel. Trevisani d. 28 ejusd. mensis; quae descriptio, auctore ipso teste, mense Decembr. 1860 conscripta est, at nostrum novum nomen et notae ejus characteristicae jam mense Octobr. typis

fuerant expressa. At si aliqua ex ratione nomen Trevisani praeferre placeat, non aegre feram.

4. Inter *Ramalinas* sec. descriptionem maxime insignis et facillime distincta videtur *R. melanothrix* Laur. (Nyl. Syn. p. 290) „ramulis longe attenuatis et nigricantibus,“ unde velut apice nigro-ciliata apparet. Dolendum tamen est, hanc notam minime esse constantem; ad eandem enim speciem certe pertinet *R. angulosa* Laur. mscrpt. (sec. specimina ab ipso missa in herb. Delessert., a Drège in Africa meridionali collecta; alia quoque ibidem adsunt inscripta: „*Evernia* — Ecklon 103. 4“), tantummodo discrepans thallo altiore et magis intricato (*Alectorium ochroleucum* α vel *Cladoniam rhangiferinam* quodammodo in memoriam revocante), apicibus concoloribus nec morbose denigratis. Cl. Nylander (Syn. p. 293) *R. angulosam* Laur. pro „forma gracilentia, teretiuscula vel angulosa“ *Ramalinae scopulorum* Retz declarat*), at toto coelo distat. Pro vera atque distincta specie haud dubie censenda est, *Ramalina capensis* nominanda atque cognoscenda thallo fruticuloso, gracilento, rigidulo, teretiusculo, angulato-costato, pallido, ramis apicalibus longis, gracillimis; apotheciis terminalibus lateralibusque, subminutis, disco subplano, pruinoso, margine integro; ascis brevibus, paraphysibus arcte conglutinatis, apice virescentibus; sporis octonis, luteolis, dyblastis, oblongis, saepe leviter curvulis, 0,013—16 mm. longis et 0,0035—45 mm. latis; spermogoniis totis nigris. Formae duae, quas amplectitur, nominandae: α *angulosa* Laur., major (circa biuncialis), ramis apicalibus concoloribus, et β *melanothrix* Laur., minor (uncialis), apicibus thalli morbose**) nigricantibus.

5. Specimina Europaea *Roccellae fusiformis* fructifera in herb. Franquevill. e Normandia vidi, ut etiam ex insulis Canariensibus; discus nudus, non pruinosus, margo mox exclusus. — *Roccella Montagnei* Bèl. est species optima, thallo flaccido apotheciorumque forma a *R. fusiformi* certe distincta.

6. In Syn. p. 318 novum describit Cl. Nylander *Nephromium expallidum*, in alpinis Dovrensibus a Cel. W. P. Schimper detectum. Speciminulo in mus. Paris. aliisque in herb. inventoris examinatis, iudicium certum de hac planta jam afferre audeo, differentiam ejus specificam omnino denegans. Est enim modo forma illa

*) Alias quoque *Ramalinae* species a Nyl. ita nominatas vidi.

**) Eandem coloris mutationem etiam apud alias species observare licet, licet minus eximiam.

in regionibus arcticis sat frequens *N. papyracei* Hoffm., quam sub nomine *N. helvetic*i descripsit Acharius Lich. Univ. p. 43 (*N. papyraceum* c. *helveticum* Th. Fr. Lich. Arct. p. 43, *Peltidea laevigata* Smrft. Suppl. p. 124 p. p.); in *Peltideam parilem* α Smrft. l. c. et exs. n. 70, a Nyl. sub *N. laevigato* var. *parili* citatam, transitus evidentes persaepe observavi. Si *N. papyraceum* in duas species sejungendum est (quod haud invita natura forsitan fieri potest), ex formis in Lich. Arct. distinctis a. *membranacea* alteram speciem, b. *parilis* et c. *helvetica* alteram sistunt.

7. Ad *Stereocaula* quod attinet, varias observationes possum afferre, quas alio loco plenius exponere mihi in animo est. Hic notare modo lubet:

a. Differentiam inter sectionem *Lecanocaulon*, „fere proprium genus“, et ceteras non esse admittendam, sed species illi adscriptas per ceteras sectiones esse distribuendas; directi transitus in *St. sphaerophoroides*, *condensato*, *paschali* aliisque haud raro observantur;

b. *St. Salazinum* Bory verum, non solum ex descriptione (Voy. III p. 106) et figura (tab. XVI f. 3) ab ipso datis, sed etiam ex specc. origg. in herb. Mus. Paris, Deless., Franquev., Montagnei, Lenormandi et Féei, illam esse *St. ramuloso* formam, quam Nylander nominavit *St. assimile*;

c. *St. Vulcani* Bory verum, ut recte observavit Nylander, non esse *St. Vulcani* Th. Fr. Monogr. Ster., sed varietatem vel subspeciem *St. denudati*;

d. *St. Vulcani* Th. Fr. (quae denominatio speciminibus fulta erat a Bory collectis et a Fée, Mtg. et Lenorm. missis) sive *St. salazinum* Nyl., a Bory forsitan aliquando sub nomine *St. salazini* imprudenter distributum neque tamen descriptioni nec figurae ipsius respondens, novo nomine (*St. scutelligerum*) salutandum esse;

e. specie a *St. ramuloso* (Sw.) non differre *St. proximum* Nyl., *exalbidum* Nyl., *macrocarpoides* Nyl., *mixtum* Nyl. et *assimile* Nyl., ut alia vice evidenter demonstrabo;

f. *St. verruciferum* Nyl., speciem *St. graminoso* Schaer. (*St. turgescenti* Nyl.) sat affinem sed distinctam, esse *St. obesum* Th. Fr.;

g. inter *St. congestum* Nyl., *gracilescens* Nyl. et *albicans* Th. Fr. nullam veram adesse differentiam;

h. eximium illud genus *Oxocladium* Mtg. peculiarem sistere familiam nec ad *Stereocaulaeos* posse referri.

8. Permultis erroribus subjecta fuit *Lecidea panaeola* Ach., species optima at raro fructifera. Jam in Lich. Arct. p. 207 varia de hac re attuli et nonnulla addere liceat. Cel. Körber (Pg. p. 97)

immerito hanc stirpem pro *Aspicilliae* specie declarat; ad *Lecideas* enim certo certius pertinet. In Smrft. exs. n. 51 divulgata est, sed hunc numerum ad suam *Biatoram leucophaeam* β *pelidnam* trahit Körber (l. r. p. 149). Haec autem varietas sec. specimen authenticum in herb. Krmpfh. est forma *Biatorae panaeola* Fr. (*B. leucophaea* Fike., *B. panaeolaris* Nyl.); *Lecidea pelidna* Ach. est *Buelliae* species sporis dyblastis, nigricantibus. Inter *Biatoram panaeolam* Fr. et *viridiatram* Stenh., quas conjungit Körber (l. c. p. 148) ne minimam quidem similitudinem detegere possum; specimen Suecanum, quod ad hos conjungendas acutissimum auctorem perduxit, vix dubie perverse est determinatum.

9. Numerosis *Wilmsiae latentis* Lahm. (*Secoligae fagicolae*, Hepp., Körb.) specimenibus in herb. v. Zwackhii visis, persuasum mihi habeo, hanc omnino eandem sistere plantam ab *Pachyphiale corticola* Lönnr. (antiquius nomen). In specimine hujus plantae originali, quod liberalitate inventoris possideo, apothecia juventute ideoque minore mole modo discrepant ab aliis a Cl. Labmio missis, at simillima in herb. Zwackhiano adsunt. — *Bacidia polychroa* Th. Fr. ad varias species retulerunt auctores, nec rite fuit cognita. Cui eam accuratius lubet examinare, aditus nunc patet; pulcherrima enim adest in Körb. Lich. Sel. Germ. n. 219 sub nomine *Bacidiae anomalae* (Fr.) Körb. Pg. p. 132. Veram *Biatoram anomalam* Fr. omnino aliam esse, superfluum forsitan sit afferre.

10. In Pg. p. 147 Cel. Körber declarat, se *Biatoram miscellam* (Smrfl.) a *B. cuprea* (Smrfl.) non distinctam censere. Equidem, qui pluries numerosissima utriusque speciei specimina collegi, hanc sententiam minime possum amplecti. *Biatora cuprea* magis enim affinis est *B. vernali* (L.) verae (*B. conglomerata* Körb.), ad quam sese habet omnino ut *B. miscella* (*B. Berengeriana* Mass.) ad *B. fuscam* (Schaer.) (*B. vernalem* Körb., *B. cartilagineam* Lönnr.). Plura de hac re videas in Lich. Arct. 192—195. — *Biat. Decandollei* Hepp. v. *B. geographica* Mass. est synonymon *B. exiguae* Chaub., Fr., quod antiquissimum nomen est restituendum*).

Dabam Monachii d. 13. Julii 1861.

*) Grave erratum typographicum in Rbnh. Lich. Eur. exc. fasc. XIX. n. 543 hac vice emendare liceat. Lege enim: „*Lecidea tugubris* Smrft. Suppl. p. 143 (see. ipsius herb. non Auctt.)“, non „see ipsius herb.“

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1861

Band/Volume: [44](#)

Autor(en)/Author(s): Norman Johannes Musaeus

Artikel/Article: [Descriptio speciei novae lichenis, quam detexit et sub nomine Tholurna 409-413](#)